

bat limites peccati venialis. Idem potest dici de malitia furri propter materia puritatem. Alia ratio est de malitia gula, cuius materiam secundum se leuem potuit Deus prohibere ut gravem, & ut leuem defacto prohibuit, ut colligitur ex verbis mulieris Genes. 3. *Præcipit nobis Deus, ne comederemus.*

Adverte tamen, quod error formalis non præcessit primum peccatum Adami. Et ratio est: quia eius obiectum non fuit secundum se malum, sed res bona, licet inordinate dilecta, hoc est propria excellentia sine debita mensura & subiectione, ad quod sufficiebat, ut præcederet aliqua consideratio voluntaria prædictæ mensuræ: ergo non fuit necesse, quod præcederet aliquis error formalis. Aliunde omnis error vel est culpa, vel pœna præcedentis peccati; sed non fuit culpa, alias prima species sui peccati in eo consisteret: nec pœna, alias supponeret aliud peccatum: ergo. Idem dicendum est de primo peccato Evæ, ut ex se liquet. Pro his vide, quæ diximus tract. 7. disp. 3. à num. 126.

160 Sed objicies: Adamus absolute & simpliciter appetijt propriam excellentiam in eminentia scientiæ, abiecta dependentia & subiectione: ergo iudicavit absolute & simpliciter esse sibi convenientem; sed non erat absolute & simpliciter conveniens: ergo erravit. ¶ Confirmatur: Nam de Eva dicit Apoll. 1. ad Timoth. 2. quod *seducta est.*

Respondetur ad obiectionem, concessio antecedenti; negando consequentiam, si ly *absolute*, & *simpliciter* cadat supra *convenientem*, inspectis omnibus tunc occurrentibus. Nam error non habebat locum in eo, quod Adamus absolute & simpliciter iudicaret, excellentiam suam ut independentem fuisse sibi convenientem: nam illum potuisset appetere hoc modo, si præcepto illo accidentaliter oneratus non fuisset. Solum ergo habebat locum, si illum expressè iudicaret esse hic & tunc convenientem, ut collatum cum præcepto. Sed hoc modo non iudicavit. Peccavit tamen in eius appetitu, quia non consideravit voluntarie tale præceptum: & quia appetijt propriam excellentiam ita independentem, ac si non fuisset tale præceptum. Et propterea eius peccatum non duxit originem ex aliquo errore formali, sed ex inconsideratione voluntaria, & defectuosa ad præceptum.

Ad confirmationem respondetur cum D. Thom. 1. part. quæst. 94. art. 4. ad 1. his verbis: *Illud seductio mulieris..... subsequuta tamen est peccatum interna elationis.* ¶ Adde, quod licet non præcesserit error aliquis formalis, qui regularet primam malitiam peccati, quæ fuit superbia; nullum tamen inconveniens est concedere, quod præcessit idem peccatum

quoad alias malitias posteriores: nam sicut in eodem instanti reali bene potuerunt exillere tres deformitates supra relaxatæ, ita malitia superbia habebat aliquam prioritatem naturæ respectu aliarum, sic illam potuit habere respectu erroris, qui regularet alias.

§. XIII.

Secundum corollarium, & alterius quaestione resolutio.

161 **I**nsertur secundò, Adamum per suum peccatum esse causam efficientem peccati nostri originalis. Ita omnes Catholici. Et probatur breviter ratione: nam peccatum originale debet habere aliquam causam efficientem; sed non potest esse Deus, qui repugnat causalitas peccati: nec ipsi parvuli, cum isti nullum peccatum propria voluntate commiserint: nec alia, quæ non fuerit caput: ergo fuit Adamus per suum peccatum actuale, quod vocamus *originans*. ¶ Nec obest contra hoc, quod tale peccatum modò non existit, sed est retractatum, & remissum. Non, inquam, obest: Nam est retractatum ut personale, non ut capitale, cum per suum peccatum perdidit dignitatem Capitis in ordine ad retractationem, & remissionem pro nobis.

162 Inquires tamen: an Adamus suo primo peccato concurrat physice, an solum moraliter ad peccatum nostrum originale? ¶ Respondetur, non solum esse causam moralem, sed etiam physicam. Ita plures Theologi, quos referunt, & sequuntur. NN. Salmant. in hoc tract. disp. 14. dab. 3. de Gonet. disp. 7. art. 3. Et probatur ex dictis in toto hoc dubio; nam omnis effectus physicus adhuc privativus perit causam physicam; sed peccatum originale est quidam effectus physicus est privativus: ergo habet aliquam causam physicè illud producentem, quæ alia non potest esse, iuxta proximè dicta, nisi peccatum actuale Adami. Adde: Nam causa moralis non præbet ex se sufficientem influxum, ut effectus physicus à partereci producat, sed movet alienam voluntatem, ut illum physicè producat; sed peccatum Adæ hoc modo non concurrat ad nostrum peccatum; quia non potuit movere divinam voluntatem ad illud efficiendum, nec alia voluntas potest excogitari, quam moveat: ergo peccatum Adæ non est propriè causa moralis (quæ est idem, ac causa demeritoria) nostri peccati originalis.

163 Sed objicies cum Godoy 1. 2. disp. 35. num. 8. vbi tantum concedit influxum moralem, & determinatè negat influxum physicum in nostrum peccatum originale: Nam peccatum Adæ, si esset causa physica nostri peccati ori-

gi-

ginalis, id haberet ex natura sua; sed hoc est falsum: ergo non est causa physica, sed tantum moralis. Maior patet: quia id non habet ex vi peccati; cum eodem modo se habeat peccatum Adæ supposito pacto, ac non supposito. Minor verò probatur: Tum quia actus, quo Adamus peccavit, fuit immanens: ergo nequit ex natura sua habere vim ad causandum physicè nostrum peccatum originale. Tum etiam: Nam peccatum Adæ physicè loquendo eodem modo se habet ut capitale, & ut personale; sed ut personale non habebat vim ad causandum physicè peccatum in alios: ergo nec ut capitale. Tum deniquè: Adamus, quamvis multoties peccaret ut Caput, non causaret physicè in nobis habitum vitiosum; ergo nec per primum actum potuit causare physicè id, in quo consistit peccatum originale. Patet consequentia: nam vnus actus non est magis potens ad causandum peccatum habituale, quam actus sæpius repetiti ad habitum generandum.

Objicies secundò cum Godoy num. 11. Nam peccatum Adami nunc non existit in se physicè; aliis nec existit in femine: ergo nequit physicè in fluere in nostrum peccatum originale. Patet consequentia: nam ad causalitatem physicam requiritur omnino, quod existat physicè causa vel in se, vel in alio, quando producit effectus, & supposito quòd non existat in se formaliter, non apparet aliud, in quo persistat, nisi semen. Maior etiam est certa. Et minor probatur: nam in femine nihil physicè produxit, in quo physicè possit permanere: vel assignetur.

Has obiectiones proposuimus, ut occasione illarum explicemus modum, quo peccatum originale producit physicè à peccato Adami. Quem modum breviter, & perspicue declaravit D. Thom. in hac 1. 2. quæst. 83. art. 1. in corp. vbi ait: *Peccatum ergo originale.... fuit quidem in ipso Adam sicut in causa principali.... In femine autem corporali.... sicut in causa instrumentali, eo quod per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana.* Idem tradit ad 2. & 4. argumentum, alijque in locis. Ex cuius recta intelligentia clarè constabit influxus physicus, & solutio prædictarum obiectionum.

Ad primam enim respondetur, concedendo sequelam maioris; & negando minorem. Et ad eius primam probationem, dicendum est, quod actus ille, quo Adamus primò peccavit, erat formaliter immanens, & virtualiter transiens, quatenus abstulit ab eo non solum iustitiam originalem receptam in anima, sed etiam à femine sufficientem vigorem ad propagationem iustitiæ originalis in posteros, qui originem ducebat ab ipsa iustitia. Unde sicut in femine manet physicè virtualiter virtus generativa ad

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

generationem prolis, ita in privatione prædictæ vigoris manet physicè virtualiter peccatum actuale Adæ concurrens ut causa principalis physica ad traducendam in nobis physicè privationem iustitiæ originalis (in qua consistit peccatum originale) media privatione prædictæ vigoris residenti in femine, & se habente per modum virtutis instrumentariæ. Quem influxum physicum peccati Adæ in privationem iustitiæ originalis prout in nobis, velit, nolit, concedit Godoy arguens contra Curielem disp. 36. num. 64. & illustrat D. Thom. quæst. 4. de Mal. art. 1. ad 9. his verbis: *Ex peccato primi parentis destituta est caro eius illa virtute, ut ex ea posset decidi semen, per quod originalis iustitia in alios propagaretur. Et sic in femine defectus huius virtutis est defectus moralis corruptionis: & ex hoc etiam est ibi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humana natura &c.*

Pro cuius maiori luce duo ante oculos habenda sunt. Primum est, quod Adamo data fuit iustitia originalis non tantum pro se, sed etiam pro posteris, ita ut, si non peccaret, illa simul cum natura, & per ipsum generationis actum in posteros propagaretur, residente in femine virtute instrumentaria physica causativa illius. Unde semen esset instrumentum non solum Dei, sed etiam Adami ad eius propagationem. Cum hoc tamen discernimus, quod respectu Dei esset instrumentum physicum, sed Adami esset præcisè morale: quia solus Deus potest esse causa principalis physica gratiæ: sed quia Deus non nisi dependenter à voluntate Adami observante pactum tribueret semini prædictum vigorem, propterea esset instrumentum morale Adami.

Secundum est, quod prædictus vigor in femine dimanabat à iustitia originali, eo proportionali modo quo dotes corporis gloriosi dimanant ab anima gloriosa. Unde qui potens est ex natura sua causare privationem iustitiæ originalis, etiam potest eodem modo causare privationem præfati vigoris: ideoque Adamus, qui physicè causavit privationem iustitiæ originalis, etiam causavit physicè privationem vigoris. ¶ Nec contra hoc obest, quod Adamus non causabat physicè vigorem. Nam iustus per actum meritorium non causat physicè augmentum gratiæ, & tamen per peccatum causat physicè eius privationem. Hincque potest colligi, quod Adamus possit causare, & defacto cauter physicè privationem præfati vigoris, non tantum pro se, sed etiam pro posteris, supposito tamen pacto, & non nisi sub illo. Nam cum in femine proprio resideret virtus instrumentaria Dei traductiva iustitiæ originalis in posteros, quæ simul erat virtus instrumentaria moralis Adami dependenter à pacto, planum est, quod

N 2

4

si physicè potest causare privationem vigoris absolute in suo femine, etiam potest illam causare in posteris: nam valde naturale est, quòd semen, modo quo residet in capite, residet in posteris. Ex quibus omnibus liquido constat, quòd peccatum Adæ manet virtualiter physicè in privatione physica vigoris residente in femine posterorum, & ratione illius concurrentis instrumentaliter physicè in privationem insufficientiæ originalis causat illam principaliter physicè. Ex his etiam constat ad secundam probationem.

Ad tertiam respondetur, concessio antecedenti; negando consequentiam. Cuius discriminis ratio iam tacta est supra num. 126. nam aliud est, quòd Adamus per suum peccatum actualè non possit causare in posteris aliquem terminum positivum physicum, in quo consistat peccatum habituale originale, vel qui sit habitus vitiosus: aliud verò est, quòd non possit causare physicè in illis terminum privativum. Primum ut certum propugnāvimus §. 5. per totum contra Greg. Martinez; sed negamus secundum: nam eo ipso, quòd vt caput generis humani possit physicè causare privationem vigoris in femine proprio, & inde in femine posterorum, etiam potest causare physicè in illis privationem insufficientiæ originalis, quæ medio vigore residente in femine causaretur physicè in illis. Ex quibus patet solutio ad secundam obiectionem.

De subiecto peccati originalis nihil agimus, quia satis constat ex dictis, quòd recipitur immediate in anima quoad eius effectum primarium. Videatur tamen D. Thomas in præf. quæst. 83.

DUBIUM V.

Quæ sit primaria, & formalis differentia peccati venialis à mortali, & qualis sit eorum divisio?

Cognita essentia peccati originalis, enucleare intendimus distinctionem peccati venialis à mortali, de qua agit D. Thom. in præf. quæst. 88. art. 1. & 2. Et ad etymologiam utriusque peccati declarandam, nota, mortale dici, quia inducit privationem gratiæ, quæ est vita supernaturalis animæ, atque ideo privatio illius est istius mors: veniale verò per oppositum appellari, quia non excludit ab anima gratiam, quæ est principium remissionis, & veniæ. Quod potest esse in triplici differentia: aliud enim est veniale ex genere, & obiecto, quia versatur circa obiectum secundum se leve, vt verbum otiosum: aliud est veniale ex parvitate materiæ, vt furtum rei parvæ: aliud tandem veniale ex defectu plenæ deliberationis, quamvis versetur circa materiam secundum se gravem, vt motus luxuriæ.

Supponimus contra nonnullos hæreticos, non omnia peccata ab hominibus commissa esse mortalia, sicut neque omnia esse venialia, vt aperte potest colligi ex pluribus testimonijis sacrae paginæ; & ita docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. & can. 27. Et scilicet ostendi potest ex duplici paritate, infirmitatis corporalis, & offensæ apud homines: nam inter infirmitates corporis, quædam sunt graves, quæ vitam auferunt: & quædam leves, quæ tantum effectum non inducunt, licet ad illum disponant. Item offensa apud homines, quædam sunt graves, quæ sufficiunt ad tollendam amicitiam; & quædam leves, quæ nonnihil lædunt, etsi non satis sint ad tollendam amicitiam: ergo idem dicendum est de offensus in ordine ad Deum.

Quod adeo verum est, vt omnes Catholici teneant contra Gersonem, Rosenfem, & Almain, distinctionem hæc esse ex natura sua, & non solum ex Dei misericordia. Sed in explicanda prima, & essentiali differentia utriusque peccati est tota lis apud Authores. Pro cuius luce oportet primò enucleare omnia discrimina, quæ versantur inter vnum, & aliud peccatum, vt sic expediatis accedamus postea ad eius primariam differentiam exponendam.

§. I.

Capita, quibus peccatum veniale à mortali distinguitur.

164 Supponendum est primò cum communi sensu Theologorum, peccatum mortale distingui à veniali per hoc, quòd mortale opponitur gratiæ, & charitati, illasque destruit; veniale verò solum fervori charitatis sine destructione illius. Ita D. Thom. quæst. 7. de Mal. art. 1. vbi ait: Si charitas excludatur, est peccatum mortale: si autem sit talis defectus restitutus, qui charitatem non excludat, erit peccatum veniale. Et aperte colligitur ex etymologia utriusque peccati: nam, vt supra diximus, peccatum mortale dicitur tale, seu mors animæ, quia destruit gratiam, quæ est vita illius in ordine supernaturali: & ob oppositam rationem veniale dicitur tale.

Supponendum est secundò, peccatum mortale deordinare voluntatem vsque ad perversionem ordinis in vltimum finem, secus verò veniale. Ita etiam communiter Theologi. Et constat ex supposito. præc. nam sola charitas est, quæ ordinat voluntatem ad Deum vltimum finem: ergo si peccatum mortale destruit charitatem, secus veniale, planum est, mortale deordinare voluntatem vsque ad perversionem ordinis in vltimum finem, & per hoc distingui à veniali, quòd talem perversionem non causat.

Supponendum est tertio, peccatum mortale distingui à veniali per hoc, quòd mortale est

est de ordinatio ab vltimo fine, & veniale ab ijs tantum quæ sunt ad finem. Unde illi actus, qui tendunt contra finem, sunt mortalia, qui verò tendunt contra media, sunt venialia. Hoc autem discrimen male audit Scotus in 2. dist. 21. quæst. 1. eò quòd potest quis peccare mortaliter contra media, vt si violet castitatem, & iulitiam, quæ sunt media ad vltimum finem: contra potest peccare venialiter contra vltimum finem, vt constat in odio semiplenè deliberato. ¶ Sed iste scrupulus oritur ex sinistra intelligentia supradicti discriminis: nam legitima intelligentia illius stat in eo, quòd peccatum illud, quòd deordinat voluntatem vsque ad perversionem ordinis in vltimum finem, est peccatum mortale, & dicitur deordinatio ab vltimo fine: peccatum verò, quòd non pertingit ad deordinationem voluntatis cum destructione prædicti ordinis, citra finem silit, & propterea dicitur deordinatio circa ea, quæ sunt ad finem, seu media, quidquid sit, quòd peccatum veniale immediate attingat vltimum finem, & peccatum mortale attingat immediate media. ¶ Quod altius potest explicari dicendo, quòd actus non plenè deliberatus, licet materialiter versetur immediate circa vltimum finem, secus verò formaliter: quia finis vt finis præsertim vltimus non cognoscitur nisi per cognitionem perfectam, & propterea deordinatio circa illum ex imperfecta cognitione sequuta, proprie loquendo, citra finem silit. Item actus versantes circa media quandoque habent persè connexionem cum fine, quatenus conducunt persè ad eius consecutionem, vel ab eius consecutione totaliter avertunt: & hoc modo non ponunt in numero cum actibus versantibus immediate circa ipsum; & propterea deordinatio circa media coincidit cum deordinatione circa finem. Aliquando non habent persè connexionem cum fine; & tunc potest esse deordinatio circa media, & non circa finem. Et in hoc sensu accipiendum est discrimen supra allatum, quòd peccatum mortale est deordinatio ab vltimo fine, & veniale à medijs.

165 Supponendum est quartò, peccatum mortale distingui etiam à veniali in hoc, quòd mortale est contra legem, & veniale præter legem. Ita Thomistæ cum suo Angelico Magistro, pluribus in locis, & passim alij Authores. ¶ Sed aliqui impugnant ex eo, quòd datur lex prohibens mendacium officiosum v. g. aliis esset actus indifferens secundum suam speciem: ergo etiam peccatum veniale est contra legem. Adde: Nam aliis actus indifferens ex obiecto, vt cantare, deambulare, ridere &c. essent peccata venialia, quia secundum se sunt præter legem. ¶ Ille tamen scrupulus facile evanescit, si notes, quòd peccatum veniale esse præter legem, non ita accipiendum est, quasi nulla lex derat, quæ illud prohibeat, sed quia est contra legem, quæ est

talis secundum quid; vel quia est secundum quid contra legem, quæ est talis simpliciter. Duo enim requiruntur, vt aliquis actus sit contra legem simpliciter: primum est, quòd sit simpliciter necessaria ad finem vltimum assequendum; secundum, quòd actus sit simpliciter contra talem legem: si autem aliquid istorum deficiat, actus est contra legem tantum secundum quid, quòd est idem pro nunc, ac esse præter legem. Ex primo capite distinguuntur à peccato mortali actus illi, qui dicuntur peccata venialia ex genere; & ex secundo actus, qui vel non sunt plenè deliberati, vel versantur circa parvam materiam; & ex utroque distinguuntur ab actibus ex se indifferensibus.

Ex prædictis capitibus oriuntur alia discrimina inter peccatum mortale, & veniale. Primum enim sequitur, peccatum mortale esse offensam Dei gravem; & veniale tantum levem. Secundò, peccatum mortale inducere reatum peccati æternæ, secus verò veniale. Tertio, peccatum mortale inducere in anima maculam simpliciter; veniale verò tantum secundum quid. Quarto, peccatum mortale causare deordinationem irreparabilem, non verò veniale. In his omnes conveniunt.

Ultra hæc addit Scotus in 2. dist. 21. lit. B. aliud discrimen consistens in eo, quòd peccatum mortale est contra præceptum; & veniale contra consilium. ¶ Sed communiter impugnantur à Theologis: ex eo quòd nullus timoratur conscientiam arbitratur se peccare, dum plura consilia non adimplet. Maximè, quia mendacium officiosum est peccatum veniale, & non tantum est contra consilium, sed etiam contra præceptum. ¶ Hæc callentes discipuli Scoti conantur ad debitum sensum suum subtilem Doctorem adducere, afferentesque consilium non accipi ibi à Scoto pro consilio, quòd est tale simpliciter, seu quòd est totaliter liberum à legis obligatione, sed pro consilio, quòd habet secum aliquam legem obligantem ad aliquid saltem utile ad finem legis; quo pacto habet quandam proportionem cum consilio in sua propria acceptione, quia sicut sine observatione consiliorum potest quis salvari, ita cum peccatis venialibus potest conservare ius ad gloriam. Si ergo consilium ad hunc sensum trahatur nullum erit dissidium inter Scotum, & alios Theologos nisi tantum de voce.

His suppositis, tota difficultas huius dubij reducitur ad duo capita. Primum est, Quæ sit prima, & formalis differentia inter utrumque peccatum? Et occasione illius oportet assignare differentiam radicalem. Secundum est, An peccatum veniale secundum totam suam latitudinem differat ex natura sua, & essentialiter à peccato mortali. Diximus secundum totam suam latitudinem, propter peccata venialia, quæ sunt talia ob parvitatem materiæ, vel ex defe-

defectu deliberationis: quia omnino certum est, peccata venialia ex genere distingui essentialiter à peccato mortali, vt mendacium à periurio, à furto gravi &c.

§. II.

Prima assertio pro differentiâ primaria formali.

166 **D**icendum est primò, primariam formalem differentiam, per quam peccatum mortale à veniali distinguitur, consistere in eo, quòd mortale est simpliciter contra legem, & veniale solum secundum quid, in sensu explicato num. 165. Ita plures Thomistæ, vt Medina, Alvarez, Gregor. Martinez, Gonet, NN. Salmant. in praf. disp. 19. num. 13. Et probatur ratione: nam illa est primaria, & essentialis differentia vtriusque peccati, quæ prius & immediatius advenit generi, in quo vltimò conveniunt; sed differentia assignata est huiusmodi respectu generis, in quo vltimò convenit vtrumque peccatum: ergo peccatum veniale distinguitur à mortali tanquam per differentiam essentialem, & primariam per hoc, quòd mortale est contra legem simpliciter; & veniale contra legem secundum quid. Minor probatur: nam genus, aut quasi genus, in quo vltimate conveniunt peccatum veniale, & mortale, est esse contra legem: per hoc enim diffinitur essentialiter peccatum in communi, prout præscribitur à mortali, & veniali; sed huic rationi primario & persè advenit esse contra legem simpliciter, vel tantum secundum quid: ergo esse contra legem simpliciter, vel secundum quid est, quòd primò & persè advenit rationi communi, in qua conveniunt peccatum veniale, & mortale. Minor probatur: nam rationi communi essendi contra legem nihil immediatius illi advenit per modum differentie, quam talis, vel talis modus essendi contra legem: sicut quia ens secundum rationem communem diffinitur per hoc, quòd est id, cui competit esse, nihil prius ei advenit, quam talis, vel talis modus habendi esse: ergo pariter rationi communi essendi contra legem, prius & magis persè advenit modus essendi contra legem simpliciter, & modus essendi contra legem secundum quid.

Et confirmatur ex exclusione aliarum differentiarum, quæ vel non sunt essentielles, vel non sunt omnino primæ: nam quòd peccatum mortale destruat gratiam, secus verò veniale, originem trahit ex eo, quòd primum est contra legem simpliciter; & secundum contra illam tantum secundum quid. Ex hac etiam radice oritur, quòd mortale deordinet voluntatem vsque ad perversionem ordinis in vltimum finem, secus verò veniale, vt satis colligitur ex explicatione allata num. 160. De alijs differentijs supra as-

signatis hoc evidentius patet: siquidem sunt effectus vtriusque peccati secundum propriam vniuscuiusque malitiam, pròindeque supponunt proprias, & essentielles differentias, vt cullibet recogitanti constabit.

167 **O**bjicies tamen primò: Nam prima, & formalis differentia debet desumi ab eo, quòd persè primò respicit; sed peccatum persè prius respicit obiectum, quam legem: ergo eius prima differentia debet desumi per ordinem ad diversum obiectum. ¶ Secundo: Peccatum mortale per suam primariam rationem opponitur gratiæ, & charitati: ergo hæc oppositio est prima ratio, per quam distinguitur à veniali.

Ad primam obiectionem respondetur, quòd peccatum non est tale per ordinem ad obiectum vtrumque attractum, sed per ordinem ad illud prout stat sub lege. Unde esse contra legem non ponit in numero cum respectu ad obiectum, sed ille actus, qui tendit simpliciter ad obiectum lege simpliciter prohibitum, eodem indivisibili respectu tendit directè ad obiectum, & indirectè contra legem; nec actus esset peccatum, nisi tenderet ad obiectum, prout stat sub lege: hacque ratione optimè explicatur differentia primaria peccati per hoc, quòd fit tali, vel tali modo contra legem. ¶ Ad secundum respondetur, aliud esse, quòd peccatum mortale per suam rationem primariam opponatur gratiæ, & charitati; aliud verò, quòd hæc oppositio fit ratio primaria. Primum est verum; at secundum falsum: sicut ratio primaria caloris opponitur frigiditati, sed hæc oppositio est conceptus secundarius caloris ortum ducens ex alio conceptu primario.

168 **S**ed inquires, qualis sit differentia radicalis inter vtrumque peccatum? ¶ Ad quod aliter respondendum est pro peccatis venialibus ex parvitate materiæ, & pro peccatis ex imperfecta deliberatione, ac pro peccatis ex genere. Siquidem differentia radicalis, qua peccata venialia ex imperfecta deliberatione distinguntur à mortalibus, solum est ipsa imperfecta deliberatio: quia hæc est radix, cur actus non possit habere vllam malitiam gravem. Similiter differentia radicalis, qua peccata venialia ex parvitate materiæ distinguntur à mortalibus, est ipsa parvitas materiæ: nam eo ipso, quòd res sit parva attentis omnibus circumstantijs, nequit præcipi, aut prohiberi simpliciter, seu per legem simpliciter. Diximus, attentis omnibus circumstantijs: nam potest accidere: quòd res secundum se parva possit ob speciale aliquod motum grave stare sub lege simpliciter, vt contingit primis parentibus, quibus Deus sub præcepto gravi prohibuit etiam poni, quamvis esset materia levis. Quando autem materia hic & nunc sit gravis, aut levis, non est nostri instituti, sed ad Theologos morales spectat declarare.

Maior

Maior difficultas est in assignanda differentia radicali pro peccatis venialibus ex genere. Circa quod omnes convenire debent in eo, quòd integra materia huiusmodi peccatorum, quæ secundum se est levis, est tota ratio radicalis, cur distinguantur à mortalibus. Superest tamen investigare caput, cur materia integra peccatorum venialium ex genere sit secundum se levis. Quòd rectè declarat D. Thom. in 2. dist. 42. quest. 1. art. 4. his verbis: *Quando aliquis peccat in his, sine quibus rectè servatis non remanet subiectio hominis ad Deum, & fœdus humana societatis, tunc est peccatum mortale ex genere: sicut patet, quòd non potest homo debite Deo esse subiectus, si Deo non credat, sive ei obediat, & huiusmodi. Similiter etiam societas humana vix servari non potest, nisi vnicuique servaretur, quòd suum est: ideo furtum, & alia species iniustitiae sunt peccata mortalia ex genere, & similiter est in omnibus alijs. Ea verò, sine quibus societas humana servari possit, non faciunt peccatum esse mortale ex genere, quamvis etiam deformis actus sit: sicut superfluous ludus, & aliqua huiusmodi, & alia dicuntur venialia ex genere. Ex quibus constat, id esse peccatum mortale ex genere, quòd contrariatur charitati Dei, & proximi: quæ verò non opponuntur directè charitati Dei, aut proximi censenda sunt venialia ex genere.*

Et ratio huius est: quia charitas Dei, & proximi est finis legis, vt testatur Apost. ad Roman. 13. & 1. ad Timoth. 1. cum ergo peccatum mortale distinguitur à veniali per hoc, quòd illud est contra legem simpliciter, & istud contra legem secundum quid, plane inferitur, quòd peccatum mortale ex genere sit illud, quòd contrariatur directè fini principali ipsius legis, qui est dilectio Dei, & proximi, & peccatum veniale ex genere sit illud, quòd prædicto fini non contrariatur: hæc ergo est differentia radicalis inter vnum, & aliud peccatum ex genere. ¶ Nec ex hoc inferas, quòd oppositio peccati mortalis cum charitate non est ratio differentialis secundaria. Non, inquam, inferas: Nam aliud est, quòd peccatum mortale excludat charitatem; aliud, quòd versetur circa materiam, quæ secundum se radicaliter opponitur charitati. Hoc vltimum constituit differentiam radicalem peccati mortalis à veniali, & primum est effectus peccati mortalis secundum suam primariam differentiam formalem.

**



§. III.

Assertio secunda explicans modum distinctionis vtriusque peccati.

169 **D**icendum est secundò, malitiam peccati mortalis, & malitiam peccati venialis esse essentialiter, & specie diversas, pròindeque divisionem peccati mortalis in communi, & peccati venialis in communi esse essentialem, si in ratione peccati, & mali morales considerentur. Ita Caiet. Greg. Martiæz, Alvarez, Arauxo, quos referunt, & sequuntur NN. Salmant. loco supra relato, Gonet, & alij. Et non obscure colligitur ex doctrina D. Thomæ: nam in praf. quest. 88. art. 5. ait, quòd non potest fieri de peccato veniali mortale, nisi per aliquid quòd mutet speciem: idem docet 2. 2. quest. 110. art. 4. ad 5. Item art. 6. sequenti docet, quòd quando peccatum mortale ex genere fit veniale ex defectu plez deliberationis, selvitur species, hoc est, non manet species malitiæ, quæ esset in consensu deliberato; sed hæc duo arguunt distinctionem essentialem, inter peccatum mortale, & veniale: ergo iuxta D. Thom. peccatum mortale in communi distinguitur essentialiter à peccato veniali in communi.

Et probatur primò à posteriori: nam ea, quæ habent proprietates specie diversas, etiam distinguntur specie; sed peccatum mortale in communi, & peccatum veniale in communi habent proprietates specie diversas: ergo distinguntur specie. Maior constat: aliàs nullum efficax argumentum posset efformari à posteriori, hoc est, à proprietatibus ad essentias. Minor verò probatur: nam proprietates peccati mortalis sunt privatio charitatis, & gratiæ, reatus poenæ æternæ, & damni, macula, quæ consistit in privatione gratiæ, offensa gravis, & infinita, & alia huiusmodi; sed proprietates peccati venialis non sunt hæc, sed alia valde diversa: ergo habent proprietates specie diversas.

170 **P**robatur secundò eadem assertio, & à priori: nam ea, quæ distinguntur per differentias persè advenientes generi, distinguntur essentialiter, & specie; sed peccatum mortale, & veniale distinguntur per huiusmodi differentias: ergo distinguntur specie essentiali. Minor probatur: nam peccatum mortale distinguitur à veniali per hoc, quòd illud est præter legem, seu contra legem secundum quid, & illud contra legem simpliciter; sed hæc differentie sunt differentie per se divise peccati, vt ex dictis num. 166. constat: ergo peccatum mortale, & veniale distinguntur per differentias persè advenientes generi.

Et confirmatur: nam ea, quæ habent per-

se

se obiecta formaliter diversa, nequeunt non essentialiter, & specie distingui; atqui peccatum veniale secundum rationem communem peccati venialis, & peccatum mortale secundum suam etiam rationem communem habent obiecta formaliter diversa: ergo distinguuntur specie essentiali. Minor probatur: nam peccata illa, quae ita attingunt idem specie obiectum materiale, quod attingunt illud sub diversa ratione formali, habent obiecta formaliter diversa; sed ita se habent peccatum veniale in communi, & peccatum mortale in communi: ergo respiciunt perse obiecta formaliter diversa. Minor probatur: nam peccatum mortale perse deordinat voluntatem vsque ad perversionem ordinis ad ultimum finem, peccatum vero veniale contra talem perversionem, servato praedicto ordine, vel alijs terminis, peccatum mortale attingit perse suum obiectum, vt contrarium & repugnans ultimo fini, scilicet vero veniale; sed hoc est attingere obiectum sub diversa ratione formali: ergo respiciunt sua obiecta sub diversa ratione formali. Maior supponitur. Et minor probatur: nam lex praecipiens aliquid vt quid connexum, & necessarium ad affectionem ultimi finis, sub diversa ratione formali attingit suum obiectum, ac lex non habens connexionem cum eius affectione, alias lex simplex, & lex secundum quid non distinguuntur essentialiter: ergo pariter peccatum attingens perse suum obiectum vt contrarium ultimo fini, sub diversa ratione formali attingit suum obiectum, ac peccatum quod non attingit hoc modo suum obiectum.

Confirmatur secundò: Nam malitia peccati mortalis, & malitia peccati venialis se habent perse, sicut id, quod est perse ad finem, & id, quod est perse ad ea quae non sunt perse ad finem, sed tantum ad media sine connexionem cum fine; sed hoc est habere obiecta formaliter diversa: ergo. Vel alijs terminis: forma, & dispositio ad formam habent perse obiecta formaliter diversa; sed peccatum mortale, & veniale sunt huiusmodi: ergo.

171 Respondet Labat, disp. 6. dub. 9. quod peccatum veniale, & mortale ita respiciunt idem obiectum in esse rei, quod legem, & finem tantum attingunt indirecte, seu remote. Unde diversitas penes legem simpliciter actam, aut secundum quid, & penes finem actum remote, aut non actum non est sufficiens ad hoc, vt obiectum proximè attractum sit formaliter diversum.

Contra est primò: Nam plerumque duae electiones in ratione talium attingentes idem obiectum materiale differunt specie per hoc, quod perungunt ad diversos fines; & tamen electio in ratione talis tantum attingit remote finem in ratione finis: ergo est peccatum mortale attingat remote vsque ad perversionem ordinis ad ultimum finem, poterit attingere suum obiectum

sub ratione formaliter diversa, ac peccatum veniale, quod sub hac ratione non attingit idem obiectum materiale. ¶ Secundo. Motus deorsum, & motus sursum tendunt ad eundem terminum ad quem materialiter; & tamen sunt specie diversi, eo praecise quia inspicunt tantum indirectè terminos à quibus valde diversos: ergo peccatum veniale, & peccatum mortale debent specie distingui per hoc praecise, quod indirectè tendunt contra legem simpliciter, & legem secundum quid. ¶ Tertio. Nam diverso modo distinguuntur duae deordinationes, quarum vna perungit vsque ad finem, & alia contra finem, ac duae deordinationes, quarum utraque vel est vsque ad finem, vel utraque sinit contra finem; sed deordinationes posterioris generis sunt praecise secundum magis, & minus intra eandem speciem: ergo deordinationes primi generis distinguuntur specie. Augetur hoc: Si distinguerentur penes magis, aut minus intra eandem speciem, magis distinguerentur furtum in quantitate v. g. vt viginti, & furtum in quantitate v. g. vt centum, quam furtum in quantitate v. g. vt duo, & furtum in quantitate v. g. vt quatuor, si haec sufficit ad peccatum mortale, & non illa; hoc autem nullus concedet: ergo illa distinctio non est mere penes magis, & minus, sed etiam specificè.

172 Inquires, an divisio peccati in veniale, & mortale sit generis in species? ¶ Respondetur negativè, quia est analogi in analogata. Ita colligitur ex D. Thom. in 2. dist. 42. quest. 1. art. 3. vbi comparat divisionem peccati in mortale, & veniale cum divisione entis in substantiam, & accidens; constat autem divisionem entis in substantiam, & accidens esse analogi in analogata, & non generis in species: ergo idem dicendum est de divisione peccati in mortale, & veniale.

Et probatur eius ratione: Nam divisio illa est analogica, in qua ratio superior vt talis inaequaliter participatur ab inferioribus; sed ratio peccati, prout praecindit à mortali, & veniali, inaequaliter participatur ab illis: ergo est analogica. Minor probatur: nam ratio peccati vt sic distinguitur per hoc, quod est contra legem; sed haec ratio convenit secundum quid peccato veniali, & simpliciter peccato mortali, vt supra demonstratum est: ergo ratio communis peccati inaequaliter participatur ab utroque peccato. Adde: Ita se habent malitia peccati mortalis, & malitia peccati venialis, sicut bonitas finis, & bonitas medij: nam malitia peccati venialis est talis per ordinem ad media, & malitia peccati mortalis per ordinem ad finem iuxta modum supra explicatum; sed divisio boni in bonum finis, & in bonum medij est analogica: ergo.

Roborantur haec: Ideo ratio animalis est vni-

§. IV.

Sententia secundae assertioni adversarij cura suis fundamentis.

174 Adversus secundam, & praecipuam assertionem sentiant plures Authores tam extra, quam intra Schoiam D. Thom. Suarez, Salas, Lorca, Curiel, Zamel, Montes, Godoy disp. 26. num. 29. Labat. loco supra relato, & alij.

Arguitur primò ex D. Thom. supra quest. 72. art. 5. ad 1. vbi concludit: Unde nihil prohibet, in eadem specie inveniri aliquod peccatum mortale & veniale, sicut primus motus in genere adulterij est peccatum veniale. Et quest. 18. art. 11. inquit: Tollere alienum in magna, vel parva quantitate non diversificat speciem peccati: ergo iuxta D. Thom. peccatum veniale, & mortale in communi non distinguuntur specie essentiali.

Ad primum testimonium respondetur, D. Thom. vel loqui de convenientia peccati mortalis, & venialis in eadem specie materialiter sumpta, quatenus tendunt ad materias eiusdem speciei. Cum quo rectè cohaeret, quod tendant ad illam diverso modo perse, qui satis est ad distinctionem specificam formaliter sumptam. Vel loqui de convenientia illorum in eadem specie, quatenus peccatum veniale propter sui incomplectionem reductivè tantum pertinet ad speciem peccati mortalis; quae autem sic conveniunt, verè & proprie non pertinent ad eandem speciem. ¶ Ad secundum testimonium respondetur, magnum, & parvum non importare differentiam essentialem, quando habent eundem oppositionis modum ad rationem, seu legem; quod tunc contingit, quando sunt intra quantitatem sufficientem ad mortale peccatum, vel non perungunt ad materiam sufficientem ad peccatum mortale. Et in hoc sensu accipiendus est D. Thom. At peccatum veniale, & mortale habent perse diversum oppositionis modum ad legem propter rationem supra traditam, ideoque debent distingui specificè.

175 Arguitur secundò, & à priori: Peccatum solum ex imperfecta deliberatione, vel ob parvitatem materis non respicit obiectum formaliter diversum in genere moris ab obiecto peccati mortalis: ergo non distinguuntur essentiali specie in genere moris. Consequentia est legitima. Et antecedens probatur multipliciter. Primò, nam res aliena, quae est obiectum furti, eiusdem speciei est, sive in parva, sive in magna quantitate, sicut eiusdem speciei est adhuc in esse moris sive in magna, sive in gravissima quantitate: ergo peccatum veniale ob parvitatem materis non respicit obiectum formali-

vnivoca respectu bruti, & hominis, quia per se, & absolute praedicatur de eis, tamen detur aliqua inaequalitas ex parte differentiarum; sed ratio communis peccati non praedicatur absolute & simpliciter de peccato veniali, sed tantum de peccato mortali, sicut nec ratio communis entis praedicatur absolute, & simpliciter de accidenti: ergo ratio communis peccati non est vnivoca, sed analogica respectu venialis, & mortalis.

173 Sed obijcies: Peccatum veniale absolute & simpliciter dicitur peccatum apud Scripturam, & SS. PP. ergo convenit vnivocè cum mortali. ¶ Et confirmatur: In his, quae analogicè conveniunt, vnum dicitur per attributionem ad aliud; sed peccatum veniale non dicitur peccatum per attributionem ad mortale, quia potest dari veniale, estò non detur mortale: ergo. Adde: Quia peccatum veniale opponitur simpliciter cum virtute, quae convenit vnivocè cum virtutibus, quibus opponuntur mortalia: ergo etiam ipsa peccata conveniunt vnivocè.

Ad obiectionem respondetur, quod licet peccatum veniale absolute & sine vilo addito dicatur peccatum, non propterea est simpliciter peccatum; sicut de quantitate absolute dicitur, quod est ens, & tamen est ens secundum quid: quia ad veritatem primae praedicationis satis est, quod in quantitate reperitur intrinsecè vera ratio entis, & in peccato veniali vera ratio peccati; sed ad veritatem secundae requiritur, quod quantitas comparative ad substantiam sit etiam ens simpliciter, & peccatum veniale comparative ad mortale sit etiam simpliciter peccatum, quod est falsum. ¶ Ad confirmationem respondetur, permitendo maiorem; & negando minorem: quia esse contra legem secundum quid non potest intelligi, nisi praetellecto esse contra legem simpliciter, sicut neque album secundum quid sine albo simpliciter, & sicut nec infirmitas curabilis sine incurabili, qualis est mortalis. ¶ Ad additamentum respondetur cum Caetano, reddendo rationem, cur virtutes, quibus opponuntur venialia peccata, conveniunt vnivocè cum alijs virtutibus quibus opponuntur mortalia, scilicet vero ipsa peccata: nam cum virtus sit degenerè boni, non resultat nisi ex integra causa, & propterea nulla est virtus, quae non sit talis simpliciter; cui potest adversari multiplex opponendi modus, nempe secundum quid, & simpliciter, ob oppositam rationem.



ter diversum in genere moris ab obiecto peccati moralis. ¶ Roboratur hæc probatio: Nam iuxta Arist. in Predicam. magnum, & parvum non differunt specie: ergo nec distinguuntur in ratione obiecti.

Secundo. Actus bonus deliberatus, & indeliberatus possunt versari circa idem obiectum formaliter: ergo etiam actus malus v. g. infidelitatis deliberatus, & indeliberatus respiciunt idem obiectum formaliter. *Roboratur*: Nam actus charitatis regulatus per cognitionem fidei habet idem formaliter obiectum, ac actus regulatus per cognitionem claram, ergo pariter actus regulatus per cognitionem imperfectam, & perfectam habent idem formaliter obiectum, quoties tendunt ad idem obiectum materiale.

Tertio. Nam prædicti actus habent idem formaliter obiectum in esse physico: ergo etiam habent idem formaliter obiectum in esse moris. ¶ Adde: Peccatum mortale, & veniale solum differunt vel penes aversionem ab ultimo fine, quam importat peccatum mortale, non autem veniale; vel penes reatus pœnæ æternæ, & temporalis; vel penes exclusionem gratiæ, quam causat peccatum mortale, non autem veniale: sed omnia hæc distinctiva sunt secundaria, & supponunt tendentiam positivam ad obiectum distinctum rationi, quod est idem specie: ergo.

Ad hoc argumentum respondetur, negando antecedens. Et ad primam probationem dicendum est, quod furtum grave, & leve eodem modo se habent in esse rei, ac furtum grave, & gravissimum, secus vero in esse moris. Et ratio distinctivus est: quia in esse rei, seu physico solum tendunt ad obiectum physice sumptum, quod non differunt formaliter, sive sit in parva, sive in magna; sive in gravissima quantitate. Cæterum in esse moris diverso modo se habent: nam furtum rei parvæ tendit persè ad illam prout non contrarium ultimo fini, & furtum rei gravis, & gravissimæ conveniunt in eo, quod tendunt ad talem materiam, ut contrarium ultimo fini. Et hoc sufficit, ut furtum grave, & gravissimum sint eiusdem speciei in esse moris, habeantque in hac linea idem obiectum formaliter, secus vero furtum grave, & leve. Per quod constat ad robur illud depromptum ex autoritate Aristot. quia tantum loquitur in linea physica.

Ad secundam probationem potest responderi primo negando antecedens, & falsitas illius potest colligi ex eo, quod actus virtuosus indeliberatus non potest producere virtutem, ut recte tradunt NN. Salmant. in hoc tract. disp. 4. num. 6. sicut nec actus deliberatus versans circa parvam materiam, ut docent ipsi PP. nam. 16. Unde actus deliberatus bonus, & indeliberatus & actus bonus deliberatus versans circa meta-

riam levem, & gravem distinguuntur, sicut habitus, & dispositio, quæ ex natura sua distinguuntur specie. Vel potest responderi secundo permitiendo antecedens, & negando consequentiam: Quia actus bonus deliberatus, & indeliberatus in materia v. g. iustitiæ conveniunt ex vna parte in hoc, quod tendunt ad idem obiectum, ex alia nequeunt distingui per hoc, quod actus bonus deliberatus tendit persè ad ultimum finem, quia ab hoc ordine præcedit. Cæterum actus malus deliberatus persè tendit ad obiectum, ut contrarium ultimo fini formaliter ut tali, non autem indeliberatus, & ob hanc rationem habent obiecta formaliter diversa. Ad robur huius probationis respondetur, quod cognitio fidei proponit eandem bonitatem sub eadem ratione formali, sub qua proponit visio clara, & propterea actus charitatis viæ, & patris sunt eiusdem speciei. Cognitio vero imperfecta, seu non deliberata nequit proponere rationem ultimi finis, & aversionem ab illo, bene vero cognitio deliberata. Et propter hanc rationem actus malus ex cognitione deliberata, & actus malus ex indeliberata habent obiecta formaliter diversa.

Ad tertiam probationem satis constat ex supra dictis. Nam in esse physico actus præcedunt ab eo, quod tendunt ad obiectum ut contrarium ultimo fini, & propterea non distinguuntur specie in linea physica. At in esse moris actus deliberatus malus, & habens materiam gravem respicit illam persè, ut contrarium ultimo fini, non autem actus indeliberatus, aut actus deliberatus non tangens materiam gravem: & propter hanc rationem rectè statuitur distinctio specifica.

Ad additamentum respondetur, quod peccatum veniale, & mortale non solum differunt ex capitibus ibi assignatis, quæ sunt ingens testimonium distinctionis specificæ, sed etiam ex eo, quod persè tendent diverso modo ad tale obiectum, & hoc distinctivum est primum, & essentiale. Diximus, quæ sunt ingens signum distinctionis specificæ. Nam sicut iustificatio impij, & Angelorum sunt diversæ speciei, quamvis tendant ad eandem gratiam specificè, quia vna tendit ad illam ut destruendum peccatum, & non alia; ita possumus dicere de peccato mortali, & veniali, quatenus illud tendit ad obiectum contrarium ultimo fini, & destruens gratiam, & non veniale. Videantur NN.

Salmant. de Iustif. disp. 4. num. 8.



DISPUT. III.

De Penis peccatorum.



ost considerationem peccatorum tam in communi, quam in particulari, cui in duabus disputationibus præcedentibus operam dedimus rectus ordo postulat ut de penis eis debitæ sermonem instituamus. Circa quas nonnullæ & satis difficiles quæstiones excitari solent, quas suo ordine examinabimus.

DUBIUM I.

Quid sit reatus peccati: Et qualiter ad peccatum comparetur?

QUIA reatus peccati, & pœna ei debita mutuo sibi correspondent, ita ut reatus se habeat ut meritum, & pœna ut terminus, merito de reatu peccati quæstionem in hac disp. iniungimus, & ab ea incipimus, quia prior est. Hæc autem vox reatus, quæ à reo deducta est, nihil aliud significat nisi meritum, aut debitum, quo quis, postquam culpam commisit, pœnæ, vel satisfactioni manet obstrictus, proindeque est quædam habitudo, quam peccatum dicit ad penam per modum debiti. ¶ Pro quo nota primo, reatum esse duplicem, & reatum culpæ, & reatum pœnæ. Reatus culpæ nihil aliud est, quam quædam subiectio, qua quis tenetur sub macula habituali, postquam commisit peccatum mortale. Reatus vero pœnæ est condignitas ipsa ad penam sustinendam. ¶ Nota secundo, in hac condignitate ad penam duo intelligi posse, vel ordinationem & deputationem ad penam, quæ est denominatio extrinseca proveniens ab actu voluntatis, aut iustitiæ divinæ; vel condignitatem ipsam proximam ad penam, quæ se tenet ex parte peccati. Et de utroque reatu procedit dubium.

§. I.

Dubij decisio nonnullis assertionibus

Dicendum est primo, reatum culpæ esse ipsum peccatum habituale secundum suum primum conceptum. Et ratio est: nam, ut supra diximus, reatus culpæ solum dicit subiectio, & detentionem sub ipsa culpa habituali; sed hoc nihil aliud est, quam ipsa culpa habitualis secundum suam primariam rationem: ergo reatus culpæ est ipsum peccatum habituale secundum suum primum conceptum. Minor

Tom. III. Paul. Theol. Salm.

probat: nam teneri sub culpa idem est, ac informari per eam: sicut teneri aquam sub calore idem est, ac informari per calorem; sed informari à calore nihil aliud est præter ipsum calorem secundum suum conceptum primum: si quidem dicit ipsam formam communicatam, quæ est effectus eius primarius, & coincidens cum ratione eius essentiali: ergo subiectio, & detentio sub culpa habituali est ipsa culpa habitualis secundum suum conceptum primum.

2 Dicendum est secundo, reatum pœnæ non pertinere ad conceptum primum peccati habitualis, sive talis reatus fumatur pro ordinatione passiva proveniente ab actu voluntatis divinæ, ut vult Scotus; sive accipiatur pro condignitate ipsa intrinseca se tenente ex parte peccati, ut suum Scotum explicant plures eius discipuli. In hac conspirant omnes Thomistæ. Et quoad primam partem probatur: nam reatus pœnæ, quatenus dicit ordinationem passivam ad penam ex actu divinæ iustitiæ desumptam, est de genere boni; sed peccatum habituale est de generi mali: ergo reatus pœnæ prædicto modo sumptus non pertinet ad conceptum essentialem peccati habitualis. Adde: Nam est Deus non ordinasset peccatorem ad penam, adhuc peccator haberet peccatum habituale: ergo figuratum est, quod reatus pœnæ non pertinet ad culpam habituale.

Quoad secundam etiam partem ostenditur: nam condignitas peccati sive actualis, sive habitualis ad penam est proprietatis illius: ergo non pertinet ad eius conceptum primum. Antecedens quoad primam partem admittitur ab Adversariis. Quoad secundam probatur: Tum à paritate ipsius peccati actualis. Tum etiam à paritate gratiæ: nam condignitas iusti ad gloriam est conceptus secundarius gratiæ supponens eius conceptum primum, qui est facere hominem sanctum, & participem naturæ divinæ: ergo idem de peccato habituali, cuius essentia consistit in privatione gratiæ, dicendum est. Vide disp. præc. dub. 4. §. 3.

3 Dicendum est tertio, condignitatem ad penam, quæ principaliter dicitur reatus, non esse relationem aliquam realem, aut rationis, licet concipiatur à nobis ad modum relationis rationis ad penam. Ita NN. Salmant. in præc. disp. 17. dub. 1. num. 6. & Gonet disp. 8. num. 67. Quoad primam partem probatur assertio: nam omnis relatio realis debet fundari in aliquo positivo: ergo condignitas ad penam nequit esse aliqua relatio realis. Probatur consequentia: nam condignitas seu reatus ad penam fundatur in peccato habituali; nulla relatio realis potest fundari in peccato habituali, quia est privatio, & privatio nequit fundare relationem realem: ergo condignitas ad penam nequit esse relatio realis. Quoad secundam etiam partem